Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36534
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

carnale aliquid lusit. ut cum caperet affectus uxoris. cum ipsum uerbum
dei caro factum sit. ut habitaret in nobis. Post hec refert scriptura.
quod ysaac per quam benedixit illum dominus. et magnificatus est ualde. adgres
sus est opus. et cepit fodere puteos. quos foderant pueri patris eius
abraham. scilicet inuidentes ei palestini obstruxerunt eos. implentes hu
mo. et reliqua. Quis est iste ysaac nisi saluator noster? Qui dum descenderet
in istam torrentem gerara. primo omnium illos puteos fodere uult. quos
foderant pueri patris sui. id est moyses puteum legis foderat. dauid
salemon. et prophete. libros scripserunt ueteris testamenti. quos
tamen terrena. et sordida repleuerat intelligentia iudeorum. Hos cum
uellet purgare ysaac. ut ostenderet quia quecumque lex et prophete
dixerunt. de ipso dixerunt. rixati sunt cum eo palestini. id est in
dei. a regno dei alieni. scilicet discessit ab eis. Non potest esse cum his. qui in pu
teis aquam nolunt habere. sed terram. et dicit eis. Ecce relinquetur uobis
uobis domus uestra deserta. Fodit ergo ysaac nouum puteum. immo pu
eri ysaac foderunt. Pueri sunt ysaac matheus. marcus. lucas. et
iohannes. petrus. et iacobus. iudas. et apostolus paulus. qui omnes noui testamenti
puteum foderunt. et inuenerunt aquam uiuam. que fit aque fons sa
lientis in uitam eternam. Sed pro his adhuc altercantur illi. qui terrena sapiunt.
nec noua condi patiuntur. nec uetera purgari. Euangelicis puteis con
tradicunt. apostolis aduersantur. et quoniam in omnibus contradicunt litigan
tes. dicitur ad eos. Quoniam indignos uos fecistis gratie dei. ex hoc iam ad gen
tes ibimus. Post hec fodit tercium puteum ysaac. et appellauit nomen
loci illius. latitudo dicens. Nunc dilatauit nos dominus. et fecit crescere
super terram. Vere dilatatus est ysaac. et impleuit omnem terram sci
entia trinitatis. et in toto orbe latitudinem ecclesie collocauit. Prius
in iudea tantum notus erat deus. et in israhel nominabatur. nunc autem
in omnem terram exiit sonus eorum. et in fines orbis terre uerba eorum.
Exeuntes enim pueri ysaac per uniuersum orbem terre. foderunt pu
teos. et aquam omnibus ostenderunt. baptizantes omnes gentes. in
nomine patris. et filii. et spiritus sancti. Sed quid est. quod puteos abraham